

moralis dispositio ad gratiam multum ad salutem confert: ergo non est ex viribus liberi arbitrii sine Christi gratia. Item ex illo ad Philipp. 1: *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet*; non ergo incipit homo suam salutem operari, sed Deus, de quo propterea etiam dicitur operari in nobis velle, et perficere pro bona voluntate, ad Philipp. 2; et dare sufficientiam præcogitandi, 1 Corinth. 3. Si autem homo suis viribus aliquo modo mereretur, vel se disponderet ad primum gratiæ supernaturalis auxilium, inchoaret suam salutem, sicut inchoat generationem ignis, qui primam dispositionem ad illam inducere incipit; ergo in negotio salutis et supernaturalis justitiæ non potest tribui soli libero arbitrio.

18. *Probatur ratio. — Sed refellitur. — Propria ratio ex sancto Thoma. —* Ratio vero hujus partis ab aliquibus redditur, quia homo nullum bonum morale facere potest solis liberi arbitrii viribus: meritum autem, vel dispositio positiva ad gratiam, non potest esse nisi actus moralis bonus, ut per se notum est; ergo. Hæc vero ratio falsum assumit, ut ex dictis in libro 2 constat. Ratio ergo propria est, quam attigit D. Thomas, 3 contra gent., c. 149, ration. 4: meritum debet esse proportionatum præmio, seu retributioni; sed actus, quos homo per facultatem naturalem producit, non habent proportionem cum gratia, vel auxilio, quod facultatem naturæ excedit; ergo non possunt illud mereri. Quæ ratio etiam de dispositione fieri potest, quia etiam dispositio esse debet proportionata formæ. Illam tamen magis quoad dispositionem declarat idem Doctor sanctus ibidem, ration. 2: *Nam agens instrumentale (inquit) non disponit ad perfectionem inducendam a principali agente, nisi secundum quod agit ex virtute principalis agentis; sed anima nostra operatur sub Deo, sicut agens instrumentale sub principali agente; ergo non potest anima se præparare ad suscipiendum effectum divini auxilii, nisi secundum quod agit ex virtute divina. Prævenitur igitur homo divino auxilio ad bene operandum, magis quam ipse divinum auxilium præveniat, quasi merendo illud, vel se præparando ad illud.* Hæc fere D. Thomas, in quibus adverto subsumptam illam propositionem, quod *anima nostra operatur sub Deo, sicut agens instrumentale sub principali agente*, cum majori proprietate verum habere in operibus gratiæ, ut in lib. 2 tractavimus, et ideo in hoc sensu videtur in illo discursu sumenda, ut efficacius ratio concludat, non posse hominem se

præparare ad aliquod auxilium gratiæ supernaturalis, nisi tanquam instrumentum Dei moveatur per aliud prius supernaturale auxilium, et ideo perveniendum esse ad aliquod primum ad quod homo præparari non possit. Alioquin si de fide sola sub ordinatione causæ secundæ ad primam sermo esset, et solum diceretur anima nostra instrumentaliter agere sub Deo, generali et improprio modo quo causa secunda principalis dicitur comparari ad primam sicut instrumentalis, sic tantum illa ratione concluderetur non posse hominem se disponere suis viribus ad primum gratiæ auxilium, sine concursu generali Dei, quod non satis esset ad probandam assertionem, ut constat; cum majori ergo proprietate intelligi debet, et ita optimus est discursus.

19. *Assertio de homine faciente quod in se est per auxilium gratiæ ordinis naturalis. —* Probanda superest eadem assertio de homine faciente quod in se est, per auxilium gratiæ ordinis naturalis, juxta distinctionem gratiæ excitantis positam in superiori libro, cap. 7. Clarum enim est hominem, de quo loquimur, non posse facere quod in se est per auxilium gratiæ supernaturalis ordinis, quia loquimur de homine priusquam interius vocetur ad fidem, ante quam vocationem nullum auxilium supernaturalis ordinis internum homo recipit, ut per se clarum est, et in superioribus ostensum est; ideoque non potest tunc facere quod in se est per auxilium supernaturale, quia debet supponi cum tali auxilio, quia causa efficiens supponitur effectui, et tunc necessario habebit tale auxilium sine merito, vel dispositione propria, quæ est assertio quam probare intendimus. Loquimur ergo in assertionem de auxilio naturalis ordinis, et priusquam auctoritate illam probemus, possumus in hunc modum illam ratione ostendere et explicare; nam duobus modis excogitatum est hoc auxilium naturale, per quod fiat tale meritum, vel dispositio. Primo, ut illud auxilium nihil aliud sit quam naturalis cogitatio, quæ congrua sit ad bene operandum, etiamsi per solas naturales causas et vires naturales hominis producat, Deo nihil specialiter operante, vel in causis externis tali vel tali modo applicandis, vel aliquid speciale interius operando, sed solum habeat illa cogitatio rationem gratiæ, quia fuit peculiare Dei beneficium, per suam generalem providentiam ita disponere causas universi, ut talem cogitationem in homine excitarent. At vero contra hunc sensum procedunt omnia quibus,

cap. 14, in lib. 2, ostendimus, si in hac sola cogitatione fundetur meritum primæ vocationis proximæ ad fidem, non recedi re ipsa a sententia Cassiani et Fausti, solum per hoc quod cogitatio illa gratia nominetur, quia illa est gratia solo titulo, quia non transcendit rationem doctrinæ, et in eo gradu non spectat ad doctrinam revelantem, sed naturalem, atque ita est minor gratia quam illa quam Pelagius admittebat.

20. *Modus secundus auxilii gratiæ ordinis naturalis. —* Venio ad alium modum quo potest conclusio intelligi de proprio auxilio gratiæ ordinis naturalis, prout addit aliquid externæ excitationi, ex peculiari effectione et providentia Dei, quem modum insinuant auctores, qui dicunt puerum venientem ad usum rationis, si faciat quod in se est, per motionem antecedentem ad vocationem fidei, statim infallibiliter illam vocationem obtinere; nam licet vocent illam motionem supernaturalem, re vera non potest esse ordinis seu entitatis supernaturalis, cum ante auditum fidei internum et externum antecedit: solum ergo potest esse supernaturalis quoad modum lib. 1 superiori, cap. 7, explicatum; quidquid enim sit, an alio modo vel titulo illi sic operanti de re initium fidei, quod postea videbimus, dico non posse id esse per modum meriti aut dispositionis moralis et proportionatæ; nam ad hoc dicimus in assertionem, non sufficere auxilium naturalis ordinis; quod probatur primo rationibus supra adductis ex D. Thoma, quia actus moralis ordinis naturalis, etiamsi fiat auxilio gratiæ, semper est improporcionatus toti ordini supernaturalis gratiæ; ergo nec moralis dispositio positiva, nec meritum ejus esse potest. Item, quia licet anima nostra moveatur a Deo per specialem excitationem ordinis naturalis, nihilominus ut sic mota non agit instrumentaliter sub Deo, ut auctore supernaturalis gratiæ; imo supposita illa excitatione et morali adjutorio ejus, voluntas naturali modo operatur actum moralem naturalem ac vere acquisitum, et per illum efficit habitum acquisitum, ad quem tantum ex vi illius motionis se disponit; ergo ex vi illius non meretur nec præparatur anima ad recipiendum auxilium supernaturalis ordinis, donec aliquo auxilio ejusdem ordinis moveatur, et ita operetur instrumentaliter sub Deo, ut per se ac proprie supernaturaliter ac principaliter operante.

21. *Declaratur. —* Præterea declaratur utraque ratio, quia opus morale factum ab aliquo ex sola gratia naturalis ordinis, de se non est

melius, vel physice, vel moraliter, quam similis factus ab alio per ordinarium concursum causarum, sicut habitus per accidens infusus non est melior de se quam acquisitus, nec visus congenitus quam miraculose restitutus: ut, verbi gratia, fieri potest ut cogitatio de Deo comparata a philosopho, suo naturali discursu cum solo generali concursu Dei, et data rustico gentili per speciale auxilium naturale Dei, sint æquales, et consequenter quod bonus aliquis motus voluntatis in utroque excitatus, vel libere factus, sit æqualis, et in aliis actibus minus perfectis res clara videtur; hinc ergo fit argumentum, nam actus, factus ex communi cursu causarum per vires arbitrii, non est sufficiens ad qualecumque meritum supernaturalis vocationis; ergo nec similis actus, factus cum auxilio naturalis ordinis. Probatur consequentia, quia sola relatio, seu emanatio a tali auxilio, non reddit actum moraliter meliorem aut digniorem; ergo nec magis aptum ad tale meritum.

22. *Universalis ratio. —* Unde fit universalis ratio, quia omnes isti actus honi ordinis naturalis, absolute spectati, abstrahendo ab hoc vel illo modo quo fieri possunt, tales sunt ut, per se loquendo, possint fieri per solas vires arbitrii; ergo de se sunt improporcionati ad tale meritum, nisi aliquo modo ad supernaturalem modum sublevantur; ergo, quocumque modo fiant, ita ut in illo inferiori ordine maneant, non sunt ullo modo meritorii supernaturalis gratiæ. Patet consequentia, quia non evadunt meliores, etiamsi per tale auxilium fiant; et declaratur optime, quia homo, in statu naturæ integræ, potuit, sine speciali auxilio gratiæ, habere dilectionem Dei naturalem, tam perfectam quam nunc possit homo per hoc auxilium ordinis naturalis, et nihilominus non potuit mereri fidem, vel initium ejus per illum amorem, imo nec Angelus id potuit; ergo nec homo lapsus id potest, etiamsi per speciale adjutorium similem Dei amorem eliciat. Quocirca rationes omnes quæ probant nos non posse per bonum opus morale, viribus liberi arbitrii factum, ullo modo mereri auxilium gratiæ supernaturalis, æque procedunt, sive illud opus sit factum ex aliquo auxilio ordinis naturalis, sive cum solo generali concursu universalis providentiæ, nimirum, quia tale opus respectu supernaturalis ordinis est quasi nihil, et quia ex se solum placet in ordine ad finem vel præmium naturale, etc. Hæc enim et similia æque procedunt, sive naturale opus fiat viribus pro-

priis, sive cum adjutorio Dei ordinis naturalis, cum quo opus in se non fit melius, nam tale adjutorium valde extrinsecum est, et quodam modo plus agere videtur qui cum minori adjutorio aequaliter operatur.

23. *Probatur assertio. — Prædicatur fides.*

— Ultra has vero rationes, assertio quocumque sensu intellecta, id est, de homine faciente quod in se est, sive per vires solas liberi arbitrii, sive per beneficium cogitationis congruæ, sive per specialem excitationem ordinis naturalis, probanda a nobis est ex quodam supernaturali principio, quod initium fidei non cadit sub meritum, quo maxime Augustinus, et alii Patres, Massilienses expugnant: ex illo autem recte concluditur nullum opus bonum morale, seu ordinis naturæ, quomodocumque fiat, esse posse moralem dispositionem, aut aliquale meritum primæ vocationis ad fidem, seu, quod idem est, primi auxilii supernaturalis: primum autem illud in l. 2, c. 4, breviter tactum est; nunc autem probandum est latius, et imprimis docet illud divus Thomas secunda-secundæ, quæst. 10, art. 4, ad 3, ubi de Cornelio dicit, cum placuit Deo suis orationibus et elemosynis, non fuisse infidelem; alioqui, ait, ejus operatio non fuisset Deo accepta, quia sine fide nemo ei placet; unde egregie dixit Ambrosius, lib. 6 in Lucam, § *Et respondens Jesus: Misericordia tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur*; et lib. 7 ad illa c. 11: *Verumtamen quod superest, date elemosynam: Opera (inquit) sine fide vana sunt.* Præterea probatur ex Augustino, lib. de Prædestin. sanctor., ubi a cap. 2, ad refellendos Semipelagianos revocat initium salutis ad sanctam cogitationem, et ante illam ostendit nihil in homine inveniri, quod initium fidei vel justitiæ esse possit. Declarat autem illam esse sanctam cogitationem, quæ ad religionem utique Christianam et pietatem pertinet. Deinde in cap. 3 retractat quod alibi dixerat, initium fidei esse posse ex nobis, quod non esset simpliciter retractandum, sed explicandum, si homo aliqua ratione posset vocationem ad fidem mereri. Item cap. 7, nulla opera posse esse meritum, vel impetrationem fidei, quia ut opera habeant vim aliquam merendi vel impetrandi, debent ex fide procedere, juxta illud ad Ephes. 2: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, donum enim Dei est, ne quis gloriatur.* Fides ergo præcedit, ait Augustinus, ut per illa cætera impetrentur, ideoque non probat vulgarem loquendi modum: Ille ad fidem tractus est, vel credere

meruit, quia vir probus erat; sed potius ut bonus fuerit, ad fidem vocatus est; et ideo de Cornelio ait jam fuisse fidelem, cum per opera sua impetravit adventum Petri, a quo in Christi fide ulterius instrueretur, Actor. 10; et idem habet epistol. 57, quæst. 2, de quo late dixi lib. 2, cap. 4. Præterea, cap. 15 ejusdem libri de Prædestin., in hoc æquiparat initium gratiæ per vocationem ad fidem cum Incarnatione, quod, sicut in humanitate assumpta nihil potuit præcedere, quo aliquo modo mereretur unionem, ita in homine nihil potest præcedere quo fidem mereatur.

24. *Comparatur justificatio creationi.*

— Eandem doctrinam habet Augustinus aliis innumeris locis, nam lib. de Grat. et liber. arbitr., capite septimo: *Opera (inquit) sunt ex fide, non ex operibus fides.* Opera utique quæ sint alicujus meriti, et per se conferant ad veram justitiam et salutem æternam; et ideo libro quarto contra Julian., capite tertio, ante fidem ait nullum esse veræ virtutis opus, non quia bonum esse non potest morali modo, sed quia non confert ad salutem, sed est quasi nihil in negotio salutis; et ob eandem causam, dicto lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 7, comparat justificationem creationi; quia sicut creatio est ex nihilo, ita justificatio ex nullo merito esse potest, nec ex operibus quæ sint aliquid in ordine ad Christianam justitiam, quæ a fide inchoatur. Unde epist. 105: *Si dixerimus (inquit) ante fidem præcessisse meritum gratiæ, quid meriti habeat homo ante fidem, ut acciperet fidem?* Similiterque dicit, in epistola centesima sexta, fidem non esse tribuendam præcedentibus meritis, aut impetrationi, quia omnia hæc radicantur in fide; et hæc ratione, in eisdem locis notat vitam æternam ita esse mercedem meritorum, ut sit etiam gratia, quia est gratia pro gratia, ut ait etiam libro de Corrept. et grat., capite 13, et Joann. primo, quia meritum ejus fundatur in priori gratia; fidem autem ita esse gratiam, ut non posset merces appellari, quia non potest supponere meritum fundatum in gratia, et omne aliud fundatum in operibus non potest esse meritum ullum gratiæ aut fidei, et multa similia habet Augustinus dicta quæstione secunda ad Simplician.; et Psalm. 144: *Justitia tua exultabunt*; et alibi sæpe contra Semipelagianos disputans.

25. Hanc Augustini doctrinam imitatus est Prosper contra Collator., capite vigesimo-secondo, ubi, tractans locum Apostoli Roman. 2: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter*

quæ leges sunt faciunt, quæ contra gratiæ necessitatem et libertatem allegabat Cassianus, respondet, si locus ille de gentibus per fidem justificatis intelligatur, nihil favere Cassiano, quia gratis et sine ullo merito reconciliati sunt: *Nihil enim boni operis, inquit, ex mortuis, nihil justitiæ procedit ex impiis,* id est, nullum opus meritorium gratiæ vel justitiæ, ex impiis, qui et fide carent, et spiritum vitæ nondum accipere incæperunt, esse potest. Deinde vero, admissio alio sensu, quod Paulus loquatur de gentibus fide carentibus, et aliquid boni naturalis operantibus, ait non potuisse illos ex illis operibus justificari, quia nullus est bonæ voluntatis motus, utique justificationem impetrans, nisi quem creavit diffusæ per Spiritum Sanctum charitatis affectus; et addit probationem, quia sine fide impossibile est placere Deo, referens hæc verba, non solum ad personam, verum etiam ad singulos ejus actus, quia non possunt Deo placere in ordine ad salutem et veram justitiam, nisi a fide oriuntur. Unde capite vigesimo-nono ait, si bonum præcedens fidem possit illam mereri, sequi *sic animam ædificari in templum Dei, ut non accipiat fundamentum; quod non incipit, nisi quando fides in corde audientis generatur*: intelligit autem sequi, non accipi fidem tanquam donum gratiæ collatum, quod summum censet inconveniens. Et similiter, capite trigesimo-septimo, et trigesimono, probat ex professo vocationem ad fidem non posse sub cujuscumque præcedentis boni operis meritum cadere; idem habet in responsione ad Gallos, capite octavo. Fulgentius, de Incarnat. et grat., capite vigesimo-sexto, usque ad 20, probat omne meritum gratiæ in fide radicari, et ante illam esse non posse: favet denique Concilium Arausicanum, canon. 25, dicens Deum nullis præcedentibus meritis fidem inspirare, quod etiam habet Concilium Trident., cap. 5 et 6.

26. Respondent vero aliqui hos Patres ideo initium gratiæ ad fidei cognitionem revocasse, eamque pro fundamento nostræ justificationis posuisse, quia et frequentius contingit ut ante fidem non præcedant opera bona facta ex alia priori gratia, et ita rarum est et quasi accidentarium inchoari gratiam ante fidem; vel quia initium fidei est per se ac necessario fundamentum justitiæ; quod autem aliud fundamentum internum præcedat, licet etiam sit possibile, est contingens. Et utrumque confirmant, quia alias omnia bona opera quæ ab infidelibus fiunt, etiamsi in suo genere inter-

dum sint illustria, et difficillima, fieri possint sine gratia Christi, quod non videtur admittendum. Et similiter in homine fideli, victoria gravis tentationis, aut insigne bonum opus morale, vel fieret sive gratia Christi, vel nunquam fieret, nec esset meritorium, nisi fieret ex motivo fidei.

27. Verumtamen neutra ex dictis expositionibus est admittenda; nam illa prior, ut Patres loquantur de his quæ frequentius accidunt, et quæ rara sunt non considerent, non recte in præsentia accommodatur, tum quia alias non satis Pelagianos confutarent, nec certo et infallibili principio contra illos uterentur, nimirum fidei initium non cadere sub humanum meritum; nam quod id frequentissime contingat, Semipelagiani non negabant, ut lib. 2 dictum est, et Prosper refert cap. 37 contra Collator., ubi illum late impugnat, quia in quibusdam ponebat vocationem fidei sine merito, in aliis ex merito. Unde Augustinus, nec in Cornelio, nec in latrone, vel ullo alio, vult id admittere; non ergo ponunt illud principium ut contingens in pluribus, sed ut per se ac simpliciter necessarium. Et ideo non solum negant actum, sed potestatem; dicunt enim non posse hominem mereri fidem, quia ipsa fides est quæ hanc confert potestatem; item hoc declarant exemplis absolutam impossibilitatem contrarii eventus indicantibus, ut est exemplum hypostaticæ unionis, ita enim est gratia, ut non possit ante illam meritum in natura assumpta antecedere, et exemplum creationis, ita enim est ex nihilo, ut nunquam possit aliter contingere. Denique quod præcedant bona opera ante fidem, non potest dici rarum, quia vix inveniuntur infideles in quibus aliqua bona opera non inveniuntur, ut lib. 2 dictum est, cum Chrysostomo, homil. 67 ad Paulum, et aliis.

28. Et ob eandem vel majorem rationem alia responsio admittenda non est, nimirum, ita fidem esse fundamentum justitiæ, ut aliquando possit aliud antecedere fundamentum; tum quia etiam datur hinc occasio Semipelagianis dicendi, licet frequentius justitia fundetur primum in fide, in aliquibus sumere initium a bonis operibus humanis. Dices illos locutos esse de bonis operibus viribus naturæ factis, non per aliquam priorem gratiam ordinis naturalis, ut isti Theologi loquuntur. Sed contra in hoc est: quia si per gratiam hanc solum intelligatur cogitatio honesta naturalis et congrua, etiam ipsi illam non negabant; si vero aliud majus auxilium intelligatur, im-

primis non est de fide dari tale auxilium; ergo illo titulo non poterit sententia Semipelagianorum ut erronea damnari; deinde, quod caput est, Paulus, ad Roman. 2, sub operibus legis concludit omnia quæ non sunt ex fide, et absolute dicit: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo*; et postea subjungit: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes qui credunt in eum*; nec inter opera legis et fidei medium agnoscit, et concludit: *Justificati gratis per gratiam ipsius, utique per gratiam fidei, de qua infra subdit: Arbitramur enim justificari homines per fidem sine operibus legis*; et ad Ephes. 2: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, et non ex operibus, utique sine fide, vel ante fidem, vel non ex fide factis.*

29. Quæ loca exponens Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 8, ait: *Ut per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis*, ubi distributio omnis ponderanda est; includit enim omnem alium modum justificationis, et omnem aliam radicem: item loquens de hac eadem justificatione, quæ a fide inchoatur, ait: *Nihil eorum quæ præcedunt illam, sive fides (utique naturalis, quam ponebant Pelagiani), sive opera, qualiacumque utique sint, justificationis gratiam promeretur*: in nullo ergo homine possunt præcedere opera quæ sint exordium illius justificationis, quæ fundatur in fide: quapropter regula posita ab eodem Concilio, cap. 5 et 6, de exordio justificationis a vocatione fidei non regulariter, sed infallibiliter accipienda est, alias nihil certi de exordio et fundamento justificationis haberemus; non ergo vocatio ad fidem tantum ponitur ut necessaria ad justificationem, sed etiam ut exordium necessarium et unicum, et certe ipsum nomen exordii vel fundamenti excludit necessario omne aliud prius exordium vel fundamentum: nam fundamenti non datur fundamentum, et ad hoc significandum additum est nomen exordii, initii et radicis, ut significetur non posse dari aliam priorem radicem. Denique addit Concilium: *Nullis eorum existentibus meritis, utique ante vocationem fidei; quis enim contra verba tam absoluta et universalis audeat dicere in aliquibus hominibus, vel etiam in aliquo homine, vocationem ad fidem esse ex aliquo vel qualicumque merito.*

30. *Nulla vera gratia que non detur propter Christum.* — Ad incommoda autem quæ infe-

rebantur, respondemus aliud esse loqui de gratia in genere, aliud de gratia quæ possit esse principium merendi aliquo modo supernaturale auxilium, ante fidem: ergo et ante proximam vocationem fidei fatemur propter Christum dari, quia nulla vera est gratia Dei quæ non propter Christum detur, ut in principio hujus materiæ dixi; negamus vero ante vocationem fidei antecedere gratiam, quæ possit esse exordium vel fundamentum supernaturalis justitiæ, licet ad alios bonos effectus deservire possit, et hoc probant testimonia adducta, et ratione statim declarabitur: unde ad primum incommodum de infidelibus, respondemus fortasse nunquam in eis esse victorias gravium tentationum integras, et sine ulla peccati labe, nec difficilia opera bona sine aliquo defectu culpæ; si vero aliquando sunt, non fiunt sine aliquo gratiæ auxilio propter Christum dato, et nihilominus in ordine ad fidem promerendum nihil sunt. Ad aliud vero de fidelibus similiter dicimus, si talia opera fiant ex solo auxilio naturalis ordinis, et nullo modo ex fide, non mereri supernaturale præmium apud Deum, ut infra tractando de merito ostendemus.

31. *Opera quæ præcedunt fidem, quid.* — Aliter vero quis subterfugere posset allata testimonia, dicendo talia opera bona, quæ ante fidem interdum fiunt, non fieri sine aliqua vocatione bona, et illam tunc dici posse vocationem ad fidem, saltem remotam, eamque a Conciliis et Patribus sub vocatione fidei includi, et ita verum esse ante illam nulla præcedere merita; nihilominus tamen ex illa vocatione remota posse procedere aliquod opus, quod sit meritum proximæ vocationis ad fidem, ac proinde excitationem ad bonum opus faciendum ante revelationem fidei, esse vocationem quamdam ad fidem, quia ad illam ordinatur, et hoc satis esse ad aliquale meritum proximioris vocationis ad fidem, etiamsi actus fidei nondum præcesserit. Potest hoc subterfugium duorum Patrum testimoniis colorari: unum est Augustini lib. 83, quæst. 68, dicentis: *Numquid ergo latebat Pharaonem quantum boni consecutus fuerint terræ illæ per adventum Joseph? Illius ergo rei gesta cognitio, vocatio ejus fuit, ut populum Israel misericordialiter tractans, non esset ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, sed exercuit crudelitatem in eis quibus humanitas et misericordia debebatur, meruit pœnam ut induraretur illi cor, etc.* Certe cognitio illa quam habuit Pharaon de adventu Joseph in terram

Ægypti, et de beneficiis per eum illi genti collatis, non fuit revelatio fidei, nec per eam excitabatur Pharaon immediate ad credendum; et tamen Augustinus inde dicit incoepisse vocationem Pharaonis, qua si usus bene esset, ulterius illuminaretur; sicut e contrario, illa male utendo, obdurari meruit. Aliud testimonium est D. Gregorii, homil. 9 in Ezech. in illa verba: *Mitto ergo te ad filios Israel, ubi sic inquit: Nec fides sine operibus, nec opera adjuvant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant.* Ergo, secundum Gregorium, opera quæ præcedunt fidem, quatenus pro fide percipienda fiunt, possunt juvare ad merendam proximam fidei vocationem. Et in ejus sententiæ confirmationem addit: *Sicut Cornelius ante, pro bonis operibus, meruit audiri, quam fidelis existeret; qua ex re colligitur, quia bona opera pro fide percipienda faciebat, quod ex Act. 10 latius deducit.*

32. *Responsio auctoris.* — Respondeo duobus modis posse intelligi aliquem operari pro fide obtinenda, uno modo ex intentione Dei solum, quia nimirum Deus excitat hominem ad bene moraliter operandum, ut probet illum, an bene respondeat illi priori vocationi, et animo dandi illi altiore, si illa bene utatur, sin minus dimittendi illum; alio modo potest intelligi ex intentione ipsius hominis bene operantis et petentis, ut a Deo illuminetur in fide. De priori modo posset intelligi locus Augustini, et præmisso illo sensu duo dicenda sunt: unum est, illam priorem excitationem non posse dici vocationem ad fidem, sed ad misericordiam, gratitudinem, justitiam, vel aliam similem virtutem moralem, de his enim virtutibus aperte loquitur Augustinus. Quando autem in aliis locis dicit vocationem ad fidem præcedere omnia opera pietatis, et mere gratis dari, aperte de illa loquitur quam describit Concilium Tridentinum in illo c. 5, cum dicit, *justificationis exordium sumendum esse a vocatione, qua Deus tangit cor per Spiritus Sancti illuminationem, ut gratia adjutus libere possit movere se ad justitiam coram Deo, et addit c. 7: Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum.* Vocatio ergo de qua loquitur Concilium, est ex auditu fidei, et ab illa inchoatur fundamentum justitiæ, et omnium dispositionum ad illam: et de eadem vocatione dicit antecedere omnia merita. Non possunt ergo hoc testimonium et similia eludi, ea interpretando de vocatione ad bonum opus morale, vel ad aliquam cognitionem natura-

lem, quam Deus potest dare ante revelationem, vel prædicationem fidei, quia nec illa potest dici fundamentum justitiæ, nec re vera est vocatio ad fidem, cum illam non proponat ullo modo, ut supponimus. Neque intentio Dei extrinseca mutat naturam et rationem talis vocationis, neque enim habet quod sit talis vel talis vocatio, ex fine extrinseco vocantis, sed ex objecto ad quod vocat.

33. *Exactior responsio pro D. Augustino.* — Quocirca, persistendo in eodem sensu verborum Augustini, addendum, posita illa vocatione Pharaonis, per solum naturalem bonum usum ejus ante primam vocationem ad fidem non potuisse mereri fidem vel initium ejus, sed ad summum potuisse non ponere obicem fidei, seu inspirationi ejus, ut generaliter statim dicemus; quia intentio Dei extrinseca non addit illis operibus dignitatem, vel proportionem cum tali præmio. Unde non est cur fingamus Deum hoc intendisse, aut ad hunc finem dedisse Pharaoni vocationem illam, ut bene illa utendo mereretur vocationem ad fidem, quia nec Augustinus hoc dicit, nec habet fundamentum in Scriptura vel ratione: imo repugnat Deum intendere aliquid gratiæ suæ contrarium. Item non oportet fingere ita fuisse unam vocationem ad aliam ordinatam, ut si Pharaon bene uteretur prima, illi esset promissa proxima vocatio ad fidem, quia hæc etiam promissio ficta est, et sine fundamento, et præter ordinationem divinæ gratiæ. Igitur nulla ibi particularis intentio Dei cogitanda est, præter illam generalem, quam ex se habuit propter Christum dandi omnibus adultis vocationem ad fidem, si per eos non staret. Ante quam vocationem sæpe dat aliam bonam inspirationem moralem: reservat autem vocationem ad fidem pro tempore quod sibi placet, juxta æternam dispositionem suæ sapientiæ, et voluntatem consilii sui: et ita se gessit cum Pharaone, quem fortasse postea non vocavit ad fidem, quia invenit obduratum, vel prave dispositum per abusum prioris dispositionis, quod impedimentum si non haberet, vocaretur a Deo, non propter aliquod meritum, vel dispositionem, sed propter suam promissionem, ut mox etiam generaliter dicemus.

34. *Advertendum circa dicta a Gregorio.* — De posteriori modo operandi pro fide obtinenda ex propria intentione ipsius operantis, videtur loqui Gregorius, in quo loco oportet advertere illum supponere in operante aliquam fidei notitiam; quomodo enim potest quis per sua opera intendere fidem obtinere,